



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Qualis sit anima Mundi. Cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

nimæ, aliam Mentis, & Dei conditionem esse nouit. Anima seipsam mouet, cum corpore iungitur; est pars constituti ex ea, & corpore; est creata; & ex eodē craterē educta, ex quo mox animæ hominum prodierunt; quæ nec Menti, nec Deo nata sunt conuenire. Colligamus itaque dari animam mundi: addamus, eam à Deo esse distinctam. Ut verò appareat, quomodo ad reliquas animas se habeat, dicamus & animæ mundi, & hominū eandem esse ideam; & propterea ex eodem craterē dicuntur eductæ; crater enim, ut dictum est in præcedentibus, denotat vitæ rationalis ideam. Dicamus insuper, animam mundi esse primam illius idæ participationem: hinc cæteræ animæ dicuntur ortæ ex reliquis præcedētis commixtionis: nam sola puritate, & impuritate ab anima mundi distinguuntur. In hac significacione est vera sententia Plotini; qui dixit, animas in sua vnitate, & radice conuenire; conueniunt enim in sua idea.

Qualis sit Anima mundi.

CAP. III.

Verū mundus est animans præstantissimum, vt eius corpus omni corporis perfectione est cumulatissimè præditum; ita eius anima, non humilis, sed præstantissima censi debet. Cùm verò præstantissima sit, maximè debet esse cū mente complicata, à qua omnis animæ rectitudo duci.

ducitur: non autem maximè cum mente co-
plicaretur, nisi esset ratio pura, non permixta
cum secundis vitis, non extra se progrediens,
non declinans ad corpora. Est itaque anima
mundi pura ratio, in se manens; ita se habens
ad corpora, vt corpora sint eius, non autem
ipsa corporum. Et quoniam omnis anima est
vbique tota, ideo etiam anima mundi meat
per omnia, & vbique tota seruatur; ac vbique
apparent opera illi parti mundi conuenien-
tia; nam in cœlo cœlestia, in terris terrena re-
fulgent; præsertim tamen à Platone dicitur
in medio collocata, vt appareat eam æquè dif-
fundi per omnia, & non magis ab una, quam
ab alia parte distare. Per hanc mundi animam
singulæ mundi partes viuunt: non enim ra-
tioni est consentaneum, vt in paruis anima-
libus viuant partes omnes; in magno autem,
& præstantissimo non viuant omnes. Nec
propterea putandum est, cæterorum animas
esse portiones animæ mundi; iam enim hæc
sententia reiecta est in præcedentibus; sed est
asserendum, vniuerso, & eius partibus, vt par-
tes sunt vniuersi, vnam conuenire animam;
ratione verò propria, conuenire gradibus a-
nimantium animas distinctas. Non desunt ex
Platonicis, qui animam mundi esse ean-
dem cum anima firmamenti existimarunt;
& propterea ab ea asserunt prouenire mo-
rum diurnum, qui totius vniuersi quodam-
modo est: quam opinionem quamvis céseam

probabilem, probabiliorem tamen iudico alteram, quod ab ea distinguatur; ut Ficinus, & multi ex Platonicis existimarentur. Hanc de anima mundi sententiam fortasse ex illis verbis Geneseos Plato desumpsit, dum dicitur; Et spiritus Domini ferebatur super aquas: nam aquæ apud Ægyptios materiam denotabant, spiritus vero anima. Propterea Plotinus mundi animam dixit esse animam primæ materiæ; quæ eadem est in cœlo, & in orbe mortali. Sed Plato distinguens Dei spiritum, siue animam mundi à Deo, à recta verborum Moysis significatione recessit. Ut vero clarius appareat, quomodo hæc anima ad mundum se habeat, & quomodo per eam mundus vivat: cum Proculo præstantissimo Platonis interprete dicimus, vniuersum triplici vita esse donatum; corpoream, animariam, intelligente. Ut enim ab hominis anima manat vita quædam, quasi idolum, & imago eius, quæ per corporis partes diffunditur; ita à mundi anima in mundi partes vitam manare censendum est. Et inde evenit ut triplicem illam in mundo vitam considerare valeamus: datur enim vita ei conueniens, ratione participationis mentis ab anima; datur vita animæ propria; & deum vita effusa per corpus. Vita prima, quæ intelligens est, individualia est penitus, in ævo manens, sempiternaque existens, immobilis, ac simul omnem intelligibilem naturam comprehendens: Vita postrema effusa per corpus, diuidua est, cum tem.

tempore, & motu maximè complicata; ita tam
en est cum corpore permixta, vt vndique
commeare dicatur: Vita animaria media est;
circumuolat enim, ambitq; corporis molem,
extra existens, & conditionibus extremorum
medio modo participat. Hac mundi animam
denotauit Plato in Phaedro, inquiens: Magnus
vtique Dux in cœlo Iupiter, citas alatum cur-
rum, primus incedit, exornans cuncta, prouide-
que disponens: Huc sequitur Deorum, Dæ-
monumque exercitus, per vnde ciuitates or-
dinatus, &c. & in Philebo inquit: Ergo in Io-
uis ipsius natura regiam animam, regiamque
mentem inesse propter vim caussæ confitebe-
ris, &c. Eadem mundi anima à Platone, in 10.
de R.P. Necessitas, vel potius Dea necessitatis
nuncupatur; quia in uiolatas seruat leges, sibi
per Dei prouidentiam præscriptas: à Plotino
non nunquam nomine Veneris denotatur: ab
Apuleio nuncupatur fons animarum, at pro-
fectò minus recte; non enim ea propriè est
fons animarum, sed potius prima ideæ animæ
participatio.

De Fato.

CAP. IIII.

Duo sunt præcipua opera animæ
mundi, contemplatio, & mudi ad-
ministratio: propterea, Iani instar,
duplici facie dicitur donata; super-
ha vna, altera inferna: quæ duæ facies inter se
comparatæ, ita se habent; vt supera iungatur